

In aliis quibusdam peccat Codex. Fol. 156. p. 2. *Lectiones VIII. in festiuitate beati Benedicti*, cum subsequo prolixo Sermone. *Lectiones* hae depromptae sunt e *Dialogorum Gregorii M. L. II. edit. Maur. T. II. col. 208.* Sermo vero, utut ἀδελφότητος, est Odonis II. Abb. *Cluniac. a. 942.* defuncti, extatque in *Bibl. PP. Lugd. T. XVII. n. III. p. 263.* hoc initio: *Festiuā beatissimi Benedicti sollempnitatis christo Domino propiciante &c. Fol. 194. Epistola albini (Alcuini) abbatis ad Karolum imperatorem de septuagesima sexagesima et quinquagesima, una cum Caroli Responso, prout extant in edit. Ratisb. 1777. T. I. P. I. p. 85.* Initium prioris: *Benedictus dominus deus pater &c.* Alterius: *Karolus — Peruenit ad nos epistola missa &c. Fol. 229. Sermo Sancti Maximi episcopi. Rescribē S. Leonis Papae; est enim Sermo hujus XLII. de Quadragesima V. incipiens: Apostolica Dilectissimi doctrina nos ammonet &c.* In universum tota haec Collectio a parte sua aestivali abijuncta multum cum *Homiliario*, quod ab *Alcuino*, iubente *Carolo M.* collectum saepius lucem adspexit, convenit.

CCCCXLVII.

R. 3305 Codex membraneus lat. Sec. XI. relictus tamen et subpletus quibusdam locis Seculo seq. Folior. 238. f. eleganter scriptus et rubricis distinctus, sed usu aliquantum tritus *Homiliarium* est quadragesimale pertingens a *Dom. in Se-*

ptuagesima usque ad *Pascha*, ad quod contribuerunt PP. sequentes: *Gregorius M. Augustinus, Ambrosius, Petronius* hic dictus *Episcopus Ueronensis, Leo M. Maximus, Johannes Chryf. Hieronymus* et *Beda* permixti. Atque hic generatim observandum est, quando in Rubricis ejusmodi Collectionum occurrit *Unde supra*, vel *Ejusdem*, non illico id referendum esse ad Autorem, sed saepe intelligi *Lectionem Evangelicam*, quae pluribus *Homiliis* exponitur. Quod porro *Collectionem* praesentem commendat, et dubio procul *Lectorem* eruditum jam advertit, nomen est *Petronii*. Nihil hic de *Bononiensi*, quem tamen eloquentiae ratione confundi a *Literatoribus* cum nostro putem; *Veronensem* habemus *Praefulem* ordine XXXI. post medium *Seculi V. doctrina*, ut ait *Ughellius T. V. col. 695. et eloquentia illustrem*, quemque *Martyrologium Rom.* ad diem 6. *Septembr.* commemorat. *Scriptorum* ejus, quod sciam, nihil haecenus in publicum notum fuit praeter priorem ex binis nostris *Sermonem*, quem indicante mihi viro docto et amico *Jac. Morellio* Bibliothecae *D. Marci Venetiis* Praefecto in *Scip. Maffaei Osservazioni letter. T. VI. Verona 1740. p. 232.* deprehendi. Docuit idem *Morellius*, agi de hoc *Sermone* a *Barth. Perazino* reproducto in *Opere dei Santi Veronesi* a. 1786. *Veronae* in lucem dato ab erudito Canonico *March. Dionysio*. Quoniam vero Codex noster in non paucis ab *Ex-*
emplo

emplo *Maffaei* abit, ut collationis fit opportunitas, utrumque *Sermonem* integrum exhibebo, idque eo

Sermo Petronii episcopi ueronen. in Natale Sancti Zenonis.

Admiror, sacratissimi atque karissimi fratres, et uos, beata plebs domini! pusillanimitatis meae arentes riuulos prestolari, cum possitis uberius propriis haurire de fontibus. Quid guttam queritis, quibus torrentium fluentorum uena blanditur? Quamuis plerumque diues post copias affluentes de mensa pauperis egra soleat alleuiare fastidia, et, cui familiare est conuiuia penu largiore effundere, pomis delectetur agrestibus, attamen orate, ut religiosam expectationem pectoris uestri uel minimo rore facundiae mereamur aspergere. Quoties cerula nube pendentia terris elementa (pluuiam?) fuderunt, et fuscato aere facies speciosi orbis inforduit, squalent tunc omnia colore deformi, pulcritudine mundanae uarietatis obteeta, quicquid est humani iuris, egrescit; ast ubi iubare solis exorto obstacula nebulosa ceciderunt, redit in ordinem suum dissimulati parumper nitoris ubertas, exultat diuersitas animantium fulsisse mundo solita claritate cursum. Hec, fratres karissimi! dicenda crediderim eo scilicet, quo adnitate potentia saluatoris altissimi (vox erasa) maiore (vox erasa) quiete iam reddita et libertatis candore fruimur, et splendorem licet uenerabilium renouare templorum. (Sub Odoacro Herulorum Rege?) Probet hoc edis istius ampliata sub-

lubentius, quod inclyta illa *Petronii* Sedes optimo nunc Principi nobiscum paret. *Fol. 26. p. 2.*

limitas, quae, dum sacratissimum confessorem gremio sustinet, fragrantiam suauitatis eius longe lateque dispergit. Nescit enim magnitudo uirtutum angustis finibus occupari; penetrat etiam terminos orbis extremi, et alis pernicibus ipsa coeli altiora perstringit. Sic egregius Christi pontifex Zeno signorum uirtutibus adprobatur, quod in sacerdotio gessit, multiplicat in sepulcro. Procedunt siquidem ab ipso funere uariae sanitates, et cui de funere (qui defuncto?) locus est, uiuificat tabidos, medetur infirmos. De fonte perpetuo sanctitatis latex iocundus erumpens peccatores lauat, et gaudia salutis admiscet. Et quoties supplicantium preces humida fletibus arca susceperit, toties opportuna remedia multimodis largitur augmentis. Uideroque (Ideoque?) quas beatissimus uates in corpore constitutus potuit obtinere uirtutes, hodie magnas suo operatur in tumultu. Uigilat enim dei spiritus uiuacibus in fauillis, et (expunctum, ut videtur, introrsum; sed sensum non adsequor) et orbita multorum ubi iacere creditur corpus exanime. Nunc uero honoremus ecclesiam dei sermonis officio, uocalibus cantilenis, et ad inluminandam sponsae faciem coelestis sponsi aperiamus aduentum, qui uiuit et regnat apud aeternum patrem una cum spiritu sancto in se-

cula

cula seculorum amen. Menda Sermonis hujus inde potissimum proveniunt, quod fugientes quandoque primae manus ductus imperitior altera reficere conata est. Ex τω Sponsi aperiatur vel operiamur,

ut habet *Maffæus*, aduentum mihi videtur inscribendus fuisse non in *Natale*, sed in *Ordinatione Sancti Zenonis*; prius enim Festum agitur 12. Apr. posterius autem 8. Decembr. utique in *Aduentu*.

Sermo cujus supra In Die Ordinationis uel Natale Episcopi.

Moyfes magister ouium, cum ad eum crepitantis rubi flamma loqueretur, quæ sub specie coloris ignei lambebat hirsutos frutices, non urebat, mutare compellatur officium pastorale, ut, cui antea lanigere gregis fuerat mandata custodia, postmodum fluctuantis populi regimen sustineret. Sed hic, quem diximus, Moyfes imparem se pro rerum magnitudine diuinis fateatur imperiis. Renitentem increpatio celestis obiurgat. Suscepit ergo gentis suæ fastigium principale, uirtutibus signisque metuendus, ut profanam Aegyptum non solum uerbis argueret, sed etiam prodigiorum uerbere castigaret. Et si tantus propheta, et qui dicitur amicus Dei, tam immensi operis pondere expauit, nescio, Fratres karissimi! qua ratione me inutilem rebus arduis commisistis plus humano iudicio, quam diuino. Ueruntamen eius misericordie reputandum est, qui me imperitum omnium rerum ad hunc sacerdotii apicem per suam gratiam suscitauit. Ipse est, qui prophetas de pastoribus facit, de piscatoribus reddit apostolos, permutat homines ad salutem, de lupis agnos, ouiculas nouit transformare de bestiis. Et si parua licet componere magnis, Petrus apostolus

retia seculi deserens fit alius de piscatore piscator, ut, qui ante (rete?) captorium iaciebat in pelago, uerbi nunc retia spargat in mundo; tunc enim pisces, nunc homines sagenis spiritalibus inretruit. Matheus quoque publicanus de teloneo surgens talenta numerat feneranda credentibus, et ad mensam dominicam euangelii predicator intendit. Ecce ordinationis meæ iam plurimum tempus euoluitur. (Diu igitur praefuit.) Ubi est lucrum dominicæ (pecuniae?) quam fenerandam dispensator accepi? Uereor, ne serui desidis crimen incurram, nisi duplicata Patrifamilias talenta restituum. Laboris mei questus in uestro pendet arbitrio. Thesaurum Domini de uestris profectibus ampliabo, si uos in iudiciis integros, si tenaces iustitiæ, si religioni deditos, si misericordia liberales, si concordiam pacemque sectantes, si sanis moribus fulgentes, in uniuersis denique uirtutibus inrigatos expectatio paterna miretur. His opibus regiæ facultatis census augetur, his pontifices Dei fructibus gloriantur. Uos hereditas Domini, uos regni coelestis futura possessio, uobiscum mihi dari desidero, quid quid a Christo fidelibus uernulis reseruatur. Sola mihi est aeternitas

Caeter-

(aeternitatis?) *speciosa conditio, cum Dilectione uestra fuisse felicem* (per Chr. D. N.) *qui uiuit et regnat una cum* (Patre et) *Spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum amen.* Si plures *Petronii* Sermones in Codice reperissem, eandem illis nauassem operam, quam repertis aliquot abhinc annis *Augustini* Sermonibus.

Inter ceteros porro Codicis Sermones plures perperam Autoribus, quos praeferunt, inscripti sunt. Sermo *Dom. in Palmas* plane duos praeferunt, *Maximum* et *Augustinum*; est uero *Maximi*, ut Edit. Rom. 1784. col. 137. f. Fer. V. in *Coena Dom.* et *Parasceue* Homiliis praemissae sunt *Lamentationes Jeremiae* superpositis accentibus musicis. Homilia *Sabbato Sancto* Autore caret, et incipit: *Uideamus fratres karissimi de dominico corpore* &c. Est igitur ejusdem *Maximi*, sed omisso toto principio, ut conferenti Edit. cit. col. 280. patebit. Non idem adfirmare possum de Homilia sequente, cujus titulus nullus, initium uero: *Domini Nostri Ihesu Christi Salvatoris honorabilem sollemnitatem diuina fauente clementia fratres karissimi fideliter ueneremur* &c. quando tamen habita fuerit, liquet e sequentibus: *Expergefasci itaque libenter de somno inertig surgamus, & noctem hanc sanctam pasche letanter ducamus* &c. post quae Autor de *Fermento malitiae* et *Azymis sinceritatis* commentatur. Terminat hunc Codicem peculiari discussione dignum Epistola *Hieronimi ad Paulinum*
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

de omnibus f. *Scripturae Libris*, quae Bibliis passim praefigi solet: *Frater Ambrosius tua munuscula* &c. Posteriora haec manu Sec. XII. uti et pag. ult. Fragmentum *Litterae Apostolicae*, quod incipit: *Salzburgen. Audito et intellecto illo enormi facto, quod est aduersum te — attemptatum* &c. Factum non exprimitur, sed apostolica auctoritate cassatur, directis etiam ad *C. Maguntinum Archiepiscopum* literis. Quo ista pertinent, inter plura ejus aevi Praesulum *Salisburg.* cum Imperatoribus dissidia non facile dictu fit.

CCCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3327
XIV. Folior. 153. f. min. luculente, non tamen una manu scriptus et rubricis distinctus est *Homiliarium* pro Jejunii uerni tempore a *Dominica* in *Septuagesima* perductum ad diem *Parasceues*. Patres, quorum Sermones hic habentur, sequentes sunt: *Gregorius M. Augustinus, Ambrosius, Petronius Veron. Leo, Maximus, Johannes Chrysost. Hieronymus, Beda*, totaque *Collectio Anonyma* est Codicis Sec. XI. supra recensiti, sed, ut fieri amat, erroribus calami auctis potius, quam imminutis. Praemissae sunt foliis 3. aliquae *Lectiones* e *Beda, Augustino, Origene, Ambrosio, Leone*, ut praeferunt, manu Sec. XV. depromptae, sed, ut in his, ita et in toto corpore non paucae a saniore Crisi deinceps rejectae. Ad calcem *Librarius*:

Yyy

Althi-